

*François de la Torre Galien*  
R. P. Fr. FRANCISCI

# DE S. IVLIANO

ORDINIS DISCALCEATORVM

Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum:

OLIM IN SALMANTICERI, ET COMPLVTENSI

Academiis Theologiae Professoris ; & modò iterum Provincia  
Spiritus Sancti dicti Ordinis Gubernatoris.

## TRIBVNAL REGVLARE CHARITATIS, ET IVSTITIÆ.

NVNC PRIMVM PRODIT.



L V G D V N I.

Sumptibus IOANNIS COVRONNEAV,  
Bibliopolæ Bayonenfis.

M. DC. LVI.

Cum Approbacione.



# AD PATRES REGVLARIS PATRIÆ, ET SVPERIORES sacræ nostræ Religionis.

**N**IHI clarius (amantissimi Patres) nihil notius, quām quod mundus, à suo origine, & incunabulis, per Legislatores, & Leges fuerit gubernatus, quantum prima est Lex Diuina, scilicet ipse Deus, quantum iudicat quid faciendum sit, quidve omittendum, ex qua, ut ex fonte veluti riuuli, aliae leges dimanarunt, quippe est prima regula, & mensura, ad quam tanquam ad finem omnia ordinantur, & diriguntur.

Secundò hanc Diuinam legem sequuta est Lex naturalis, & propriè loquendo illa dicitur, quæ rationali naturæ insita est, quantum discernit honestum à turpi, consistitque in quadam Cognitione naturali illarum rerum, quæ conueniunt, vel disconuenient naturæ, de qua dixit Diuus Thomas, 12. quest. 92. art. 1. quod est quædam participatio legis æternæ. Vnde quando Deus creavit naturam rationalem, voluit ipsam, per Legislatores, & Leges regi, consequenterque imposuit illi legem, de vitandis his, quæ intrinsecè sunt inhonestæ & disconuenientia rationali naturæ: ad quod indicat ei lumen rationis, & hoc quatenus repræsentat ea, quæ à Deo sunt prohibita, habet propriè rationem legis naturalis, ut dixit Augustinus, 2. Confessio. cap. 4. *Lex tua (inquit) scripta est, in cordibus nostris.*

Tertiò subsequita est Lex positiva, & est illa, quæ à Superioribus accidentiter ponitur, estq; e duplex, una Diuina, & altera Humana. Lex Diuina positiva est, qua Deus homines regit, & gubernat, quantum corpus quod idam politicum constituant, unde præcepta veteris legis de ritu sacrificiorum, & ordine iudiciali, leges positivæ Diuinae dicebantur. Lex autem humana positiva est illa, quæ ab hominibus proximè, & immediatè ponitur,



# CAPUT PRIMUM.

De aliquibus Aduertentiis, quæ ante Iudicium, præcedere debent, in Tribunalí Regulari.

## §. I.

### ADVERTENTIA I.

*De prudenti attentione, Superioris,  
circa subditos, quibuscum debet,  
frequenter, communicare, ne  
erret in iudicio.*

**A**DVERTANT igitur Superiori-  
tes, id quod, de prudentia,  
notauit Aristoteles. 3. Poli-  
ti. capite tertio, in medium.  
*Prudentia (inquit) propria virtus est  
presidentis: Nam ceteræ quidem virtu-  
tes, videntur communes tam eorum, qui  
præsumunt, quam eorum, qui subsumunt: At  
prudentia, non est eius, qui subiit. Hæc  
Philosophus. Et licet Prudentia diri-  
git virtutes, non solum morales, sed  
etiam supernaturales, ut docet. D.*

*Thomæ 22. q. 47. art. 14. His pro nunc  
omissis, & de moralibus solum agen-  
tes: Ad prudentiam Superioris spe-  
ctat, quomodo credenda, à non cre-  
dēdis discernat, in commercio huma-  
no regulari, quo incentiuo, ad cre-  
dendum dictum fratris moueat, ut  
quid in actu credendi obseruet, quan-  
do, & quomodo, fidem exterius, de-  
beat propalare, quando sperare de-  
beat, & de zelo fratris, atque de eius  
charitate, secundum Deum erga pro-  
ximum, quando confidere.*

### *Prima classis Subditorum.*

**I**N triplici classi, debent Subditi, in  
prudenti lance Superioris librari:  
In prima versantur desides, timidi, &  
pusillanimes, qui non audent denun-  
ciare, crimina suorum fratum, cuius-  
cunque conditionis sint, contra quos  
loquitur Bernardus, *sermons de S. Ioan-*  
*ne Baptista*, dum sic sententia illa vul-  
gati, sed corde retinenda, proclamat.  
*Nemo fratres, vitia palper, peccata dis-  
simulet, nemo dicat, nunquid custos fra-  
tris mei sum ego? nemo aequaliter ferat,*  
*cum viderit, ordinem deperire, minus dis-  
ciplinam: est enim consensire silere, cum  
arguere possis, & scimus quia similis pœ-  
na, faciemib[us] manet, & consentientib[us].*  
Hæc Bernardus.

## §. II.

### *Secunda classis.*

**I**N secunda classi, locantur alij, ex  
aduerso oppositi, qui vel deprava-  
ta inclinatione, aut passione ducti,  
vel zelo nimio, & indiscreto formati,  
(quod frequentius accedit) de omni-  
bus tentant, Superiorē, certiore  
facere, siue crimina infamē subdi-  
tos, siue non; hi certè sunt inquieti.